

eiusdem sancti in praesentia domni Yvonis Carnotensis episcopi et per manum suam et personarum ecclesiae beatae Mariae, consilio episcopi et personarum, pacifice terminata sunt.

Discordia autem illa talis erat. Quod canonici super hoc conquerebantur, quod Garinus praepositus omnes iustitias terrae illorum habere vellet, de quo statutum est, quod post hac sancti Carauni praepositus omnes iustitias terrae eiusdem sancti infra claustrum et extra haberet, praeter hoc quod unusquisque canonicus occuparet mansionis suae quam habet ex praebenda sua. Si aliquis forisfaceret ei de censu suo, ex hoc tantum absque praeposito iustitiam per semetipsum exigeret et haberet. Si vero annua venditio infra spatium illarum mansionum, quas unusquisque canonicus possidet, [contingeret] fieri, canonicus absque praeposito cyrotheca venditionis haberet. Si autem opus esset, ut sancti Carauni pratica auferetur, tunc et praepositus et canonicus chirothecas venditionis haberet. De servientibus vero et excussoribus et de custodia grangiarum consideratione praepositi et camerarii dispositum est, ut quaerantur et postea pro fidelitate facienda ante commune capitulum adducantur. In augusto quoque unusquisque canonicus in granchia sancti Carauni diem suam ad capiendum stramen habeat et iterum revertendi per circuitum. Si vero ex stramine tantum non fuerit, quod per circuitum ire possit, praepositi erit. In granchia sancti Carauni decollati congregetur stramen illius loci. Postea vero, si usque ad festum omnium sanctorum canonici mittere voluerint, habeant illud, sin autem praepositi totum sit. Farrago visciarum et pisarum tota erit praepositi, mensuratio quoque annonarum tam praeposito quam aliis canonicis equalis sit. Si vero aliquis maior in terra sancti Carauni defuerit, consilio communis capituli positus sit. Praeposito vero tantum faciat, ut feodum quod de illo tenere debet gratanter sibi concedat. Oblationes vero de sancto Bartholomeo sint communes exceptis annualibus festis, quando parochiani ad sanctum Caraunum ire debent, in quibus, si illuc ire neglexerint, praepositus in ecclesia [sancti Bartholomei] ⁶⁾ capiet oblata luminaria, sicut capit in sancti Carauni [ecclesia] ⁶⁾, sicut mos est, ut parochiani in annualibus festis ad ecclesiam matricem eant. Ita quando ducunt uxores, ibi benedici debent. Si forte contigerit, ut apud sanctum Bartholomeum benedicantur, praepositus ibi similiter sicut in sancti Carauni ecclesia ius suum habeat. Beneficia vero elemosinarum quae ecclesiis illis dimittantur manu praepositi et illorum quibus commendare voluerit capiantur et ordinatione illius beneficia ecclesiae distribuuntur. Furnum vero de sancto Carauno et terra de Gavilla ⁷⁾ quam Fulco subdecanus ⁸⁾ moriens sancto Carauno dimiserat concesserunt eiusdem dicti canonici praeposito Garino, quamdiu vixerit in praeposituram.

Huius rei ex parte Garini praepositi sunt testes: Gregorius precentor et Gauterius archidiaconus et Seranus praepositus, Gauslinus archidiaconus, Vulgrinus cancellarius, Garinus diaconus sanctae Mariae, Guido nepos cancellarii, dominus Robertus de Ruella, Bernardus canonicus sancti Mauricii, Hugo presbiter, Hugo nepos eius, Robertus sacristes sancti Carauni, Risbaldus paranimphus episcopi, Andreas nepos praepositi. Et ex parte capituli sancti Carauni: Gauterius de Gallardone ⁹⁾, fuit loco nepotis sui Robertus de Gallardone, Fulco de Puteolo ¹⁰⁾, Hugo camerarius eiusdem Ecclesiae, Jacobus, Fulbertus, Matheus,

⁶⁾ Löcher im Pergament.

⁷⁾ Gasville, nordöstl. Chartres.

⁸⁾ Fulco wird 1109 genannt. Vgl. A. Luchaire, Louis VI^e le Gros. Annales de sa vie et de son règne (1081—1137) (1890) S. 41 f.

⁹⁾ Gallardon, nordöstl. Chartres.

¹⁰⁾ Le Puiset bei Janville.